



**R. P. Fr. Ioannis Poncii, Corcagia-Hiberni, Ordinis Ff.
Minorvm, Sacræ Theologiæ Lectoris Ivbilati, Olim in
Collegio Romano S. Isidori Primarij Professoris;
Philosophiæ Ad Mentem Scoti Cvrsvs Integer**

Poncius, Joannes

Lugduni, 1659

6. An difficultas operis & finis operantis augeant malitiam.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-95688](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-95688)

Respondeo Scotum intelligendum iuxta primam partem conclusionis, nempe quando peccatum habet esse peccatum præcise ex eo, quod excludat bonitatem virtutis; posset etiam intelligi de virtute meliori non secundum se, sed operanti hic & nunc, qualis est illa, ad quam tenetur magis: huiusmodi enim, licet secundum se esset imperfectior, esset tamen melior operanti; unde nego consequentiam.

Quod si queratur, quando peccata sunt diuersæ speciei, & non ex eo quod excludant perfectiorem virtutem, quomodo cognosci posset quodnam sit grauius.

Respondeo id colligi posse, sicut colligitur de ipsis virtutibus quænam sit altera perfectior, nempe vel ex eo quod id appareat ex terminis, sicut apparet quod amare Deum sit perfectius, quam amare creaturam; vel ex eo quod id concludatur aliquo discursu certo aut probabili; nec meo iudicio facilius est id cognoscere de virtutibus, quàm de vitiis seu peccatis; unde videri posset frustraneum ut id cognoscatur de his, recurrere ad illas.

53. Ut veroparticularior de hac re notitia habeatur, aduertant Doctores ex peccatis extremis virtuti mediæ oppositis, si illa virtus cohibeat hominem ab aliquo excessu, ut facit liberalitas ac humilitas, illud esse grauius quod excedit mediū virtutis: unde grauius peccat excedens in comedendo, quàm deficiens à comedendo quantum medium requirit. Quando vero virtus impellit hominem ad agendum, ut facit fortitudo, peccatum est grauius, quod cohibet à medio, quàm quod excedit ipsum, & propterea timor maius peccatum reputatur quàm audacia, cæteris tamen paribus.

Contra tamen hanc doctrinā est quod male videatur supponi dari tales virtutes, quarum quædam impellant & quædam cohibeant: nam omnes tales videntur æque impellere ad medium & æque cohibere ab excessu.

Responderi tamen potest quod quamuis hoc verū sit, tamen illa dicuntur impellere, quorum actus principalis est positivus, ut est fortitudo, cuius actus principalis est aggredi pericula, & liberalitas, cuius actus principalis est dare quod potest honestè dari; illæ vero dicuntur cohibere, quarū principalior actus est non facere aliquid, ut est temperantia in cibo ac potu, cuius præcipuus actus est non excedere in cibo aut potu; & humilitas, cuius præcipuus actus est non appetere honores inhonestè: hoc autē supposito potest dari ratio cur vitia impellentia supra medium virtutis hoc modo impellētis, & vitia retardantia à medio virtutis cohibētis sint peiora; quia habent minorem convenientiā cum virtute; certū est enim audaciam habere maiorem similitudinem cum fortitudine, quoad actum principale huius, quàm timorem; & prodigalitem cum liberalitate quàm auaritiā.

Similiter vitium retardans ab honoribus acceptandis, & à comedendo quantum debet comedi, habet maiorem proportionem cum humilitate & temperantia, quàm superbia aut immodestia.

54. Aduerte tamen quod quemadmodū, ut dixi in Logica, inter omnes species naturales diuersas, fortassis nō datur semper inæqualitas perfectionis: ita etiam nō datur inter omnes species morales diuersas aut virtutū, aut vitiōrū, & licet etiā detur, nō esse facile discernere quæ virtus perfectior sit, aut quod vitium imperfectius; nec etiā in hoc indagādo nimis anxie hærendū videtur, nā quamuis in confessione peccatorum species explicandæ sint, & videri posset necessariū Confessori scire quænam sint grauiora peccata, ut conformiter ad hoc iniungat penitentiam maiorem vel minorem; tamen non videtur in praxi obseruari ita punctualiter huiusmodi proportio in penitentia, quin aliquādo minoribus maior penitentia imponatur & minor maioribus; nā videtur abunde sufficere, ut sufficiens cuiusque iniungatur, & quæ magis proportionata est ad cauendum ab ulteriori lapsu; quod si etiam requireretur talis proportio, certe non debet intelligi nisi quādo manifesta est inæqualitas grauitatis.

Fortē etiam ita se res habet quandoque saltem, ut vna virtus, & idem proportionaliter dicendum de vitiō, sit altera perfectior secundum vnam rationem, &

imperfectior secundum alteram.

QVÆSTIO VI.

An difficultas operis & motuum seu finis operantis auget vel minuat peccatum.

CONCLUSIO I.

55. Difficultas operis, siue proueniens ex natura operis, siue ex conditione operantis, ex eo scilicet quod ob habitum virtutis oppositæ magis auertatur ab actu malo, auget malitiam actus. Hæc est Scoti dist. 21. 21. q. 2. a. 2. Probatur quia maior difficultas arguit maiorem contrarietatem voluntatis, & quia sicut, qui in exercitio virtutis plus laborat, cæteris paribus plus meretur: ita qui magis laborat in malo faciendū, plus demeretur & consequenter magis peccat cæteris paribus.

Confirmatur quia quo magis tentatur quis, eo minus peccat; ergo quo minus tentatur, eo magis peccat: sed quo actus malus est difficilius, eo minus tentatur: ergo eo magis peccat.

Confirmatur secundo contra quemdam Scotistam, qui putat eo grauius esse peccatum, quo opus est difficilius ex natura operis, non tamen ex conditione operantis; quia est eadem propterea ratio de vtroque:

Obijcies hinc sequeretur, quod melius esset peccatibus non habere habitus virtutum; quod videtur absurdum.

Respondetur negando sequelam, quamuis enim quantum ad elictionem illius actus esset ipsi forte melius non habere illos habitus; tamen absolute est ipsi longe melius, quia per illos retardatur ab actu malo, & adiuvatur ad actus bonos, & hoc est ipsi sine dubio melius, quàm iis carere.

CONCLUSIO II.

56. Motuum extrinsecum, seu finis operantis, cum est malus, auget malitiam actus, quandoque in eodem genere, cum finis est eiusdem speciei, ut si quis peccaret cum serua in ordine ad peccandum cum Domina: quandoque in diuerso, ut si esset diuersæ speciei, ut cum quis furatur ad adulterandum. Hæc est communis & patet quia malitia finis adiuncta malitiæ, quam haberet actus ex obiecto, auget sine dubio malitiam eius, quod augmentum est eiusdem speciei, cuius est malitia finis, quæ, ut ex exemplis propositis patet, aliquando est eiusdem speciei, aliquando diuersæ.

Obijcies: sequeretur quod quo peius esset motiū extrinsecum, eo peior esset actus: sed hoc est falsum: ergo.

Probatur minor primò, quia qui interficit hominem ob vnum aureum peius facit, quàm si interficeret ob mille, & tamen motiū ipse esset minoris malitiæ.

Probatur secundo, quia quod fortius quis impellitur eo minus peccat; sed quando finis extrinsecus est peior aliquando fortius tentatur, ut patet in exemplo proposito: nam interficiens ob mille aureos fortius tentatur, quàm si interficeret ob vnum.

Respondeo negādo sequelā, quia licet finis malus auget malitiā actus, tamē fieri potest ut finis peior argueret minorem malitiā quàm minus malus, ex eo scilicet quod minus malus argueret in operante minorem curā malitiæ substantialis, quam peior, ut patet in eodem exemplo; minus enim sine dubio curat malitiā substantialē interfectionis, qui interficit ob vnum aureū, quam qui interficeret ob mille, & non interficeret ob vnum, ut est euident. Aliter respondi in Commentario; sed hæc responsio videtur mihi facilius, & ea supposita nō est respondendum ad duas probationes minoris.

QVÆSTIO VII.

Utrum nocuum sequens actum malum auget eius malitiam.

CONCLUSIO I.

57. Nocuum sequens actum malum, quando cognoscitur aut timetur effectus, peccatum, quando cognoscitur aut timetur probabiliter secuturum, siue sequatur, siue nō, & siue sit causa per se, siue per accidens, auget malitiam peccati. Hæc est communis & probatur prima pars, quia malum est ponere libere causam mali, ut talē: sed peccat in casu conclusionis præter malitiā peccati secundū se, ponit causam mali: ergo magis peccat, maior patet ex terminis, & probatur vltimè, quia alias qui exploderet bombardā ad

Ex peccatis extrinsecis non is quodnam grauius.

Difficultas operis proueniens ex natura operis, siue ex conditione operantis, ex eo scilicet quod ob habitum virtutis oppositæ magis auertatur ab actu malo, auget malitiam actus.

Motiū extrinsecum, seu finis operantis, cum est malus, auget malitiam actus, quandoque in eodem genere, cum finis est eiusdem speciei, ut si quis peccaret cum serua in ordine ad peccandum cum Domina: quandoque in diuerso, ut si esset diuersæ speciei, ut cum quis furatur ad adulterandum.

Nocuum sequens actum malum, quando cognoscitur aut timetur effectus, peccatum, quando cognoscitur aut timetur probabiliter secuturum, siue sequatur, siue nō, & siue sit causa per se, siue per accidens, auget malitiam peccati.